

LAVDEM SENECTVTIS  
PHILOSOPHIAE CANDIDATIS  
QVI MAGISTRI RENVNCIANTVR

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO  
CHRISTIANO GOTTLIEB SEYDLITZ  
S. THEOL. BACCAL. METAPHYS. PROF. PVBL. ORDINARIO  
COLL. MAI. PRINC. COLLEGA

PRO CANCELLARIO  
SAM. FRIDER. NATHAN. MORO  
S. THEOL. BACCALAVREO, GR. ET LAT. LINGVAE  
PROF. PVBL. ORDINARIO, MAI. PRINC. COLL. SODALI

DECANO  
D. HENRICO GOTTLIEB FRANCKE  
SAC. CAES. MAI. COMITE PALATINO, MORAL. ET PO-  
LIT. PROF. PVBL. ORDINAR. IVR. PVBL. EXTRAORD.

SOLENNI CARMINE PROPONIT  
CAROLVS ANDREAS BEL D.

---

AD D. V. MART. MDCCCLXXVIII.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LOEPERIA,

.II. diss. A  
7, 30

III. A. (147(30)).

LAVDEM SENECTVITIS  
PHILOSOPHIAE CANDIDATIS  
QUI MAGISTER RIVACIANVS  
RECTORE ACADEMIAE MAGNifico  
CHRISTIANO GOTTLIB SEYDLITZ  
THEOL BACCAL METAPHYS PROF PUBL ORDINARIO  
COLL MATH BRIN COLLEGA

PROGANCELLARIO  
SAM FRIDEL NITHAM MORO  
THEOL BACCALAVRO ET PUBL ORDINARIO  
PROF PUBL ORDINARIO MATH BRIN COLLEGA



DECANO  
HENRICO GOTTLIB BRAMON  
THEOL BACCALAVRO ET PUBL ORDINARIO  
PROF PUBL ORDINARIO MATH BRIN COLLEGA  
CAROLVS ANDREAS BEL D.

-----  
-----  
-----  
-----  
-----

Sed quid? si quis amat quod eodem tempore vitas  
 Quodque cupit meruit, quod ex insuetudine abhorret  
 Id non naturae vicium est, sed mentis egens  
 Antiquae luccis, donec contemderet secum  
 Deditur infans nisi et conuicta velle.

Aff. heu! stultorum numero quis censet vnam  
 Sine qua non est, quae non est, quae non est  
 Quis optat velle, venit et despecta Senectus.

Quis non a tenet, Deus et sibi proclamat vnam  
 Et cupit et sperat? cui non reparet clientum  
 Vota secretum, quae vincat Nephros vnam

## LAVS SENECTVTIS.



Sub Luna quodcunque iacet durabile non est,  
 Vultibus alternant variis, et tempore cuncta  
 Progrediente alias sumuntque nouantque figuras;  
 Nec tamen a Libycis, qua Sol coquit omnia, campis,  
 Aequoris ad glaciem borealis, tam male quidquam  
 Quam sibi constat homo. Nam quae nunc optat et ardet,  
 Et sudore tenet multo, mox spernit et odit.  
 Est hoc naturae dandum, quae nescia flecti,  
 Sicut equus mandens spumantia fraena citato  
 Per segetes fertur per prataque saxaque cursu,  
 In noua fert animum semper, dum denique fractis  
 Viribus ad cippos inuita cupido quiescat.

A 2

Sed

## IV

Sed quid? si quis amat quod eodem tempore vitat,  
 Quodque cupit metuit, quod et infectatur abhorret,  
 Id non naturae vitium est, sed mentis egentis  
 Anticyrae succis, donec contendere secum  
 Desinat infano nisu et contraria velle.

Ast heu! stultorum numero quis censeat vnam  
 Sufficere Anticyram! cum vix nascatur in orbe  
 Ellebori tantum, quantum suffecerit illis,  
 Queis optata venit, venit et despecta Senectus.

Quis non a teneris, Deus vt sibi protrahat aeuum  
 Et cupit et sperat? cui non repetita clientum  
 Vota Senectutem, quae vincat Nestoris annos,  
 Exorant? studium quo circumscribitur omne  
 Et patris et matris, vitalis filius vt sit?  
 Si non cum stulto Sapienti conuenit vsquam,  
 Conuenit hic certe; si cum nebulone Catoni  
 Nil commune fuit, fuit hoc, grandaeuus vterque  
 Vt cuperet fieri. Tanta est concordia voti!  
 Contra quam multi, si quando tot anxia numen  
 Vota dedit, Superum donum aut muliebriter horrent,  
 Aut sponte accusant, aduentantemque repellunt,  
 Qui non accedit, nisi saepe vocatus, amicum.  
 Haud secus ad muros vbi peruenit hostis in armis,  
 Foemineis alii complent vlulatibus auras,  
 Occludunt alii portas, pars eminus hastis  
 Pugnat, pars aditu Martem prohibere ruentem  
 Obiectis clypeis studet, et defendere muros.  
 Sic venit innumeris tandem exorata Senectus,  
 Pars inter lacrymas lamentaque suscipit illam,  
 Pars vel vi tentat venientem arcere, vel arte.  
 Nos damus imbelli generi, cui gratia formae,

Ma-

Malarumque decus, res est non vltima vitae,  
 Si fugat ore notas annorum, explanat hiatus  
 Rugarum vnguentis, et canis illinit atrum;  
 Verum canitię qui Vir subeunte tremiscit,  
 De rugisque dolet, quae sensim ad tempora repunt,  
 Tali iniustitiam magnam fecisse videntur,  
 Quod non foemellam totum genuere, parentes.

Sed, bone, non odio est nobis annosa Senectus,  
 Sunt comites annorum: exhausti viribus artus,  
 Salibus vdantes oculi, gressus male tutus,  
 Corporis effoeti moles suffulta bacyllo,  
 Praeuertensque pedes caput atque in pectore nutans,  
 Ingenii torpor, sensus hebetudo, senilis,  
 Quae risum cunctis moueant, deliria mentis:  
 Haec quis amet sanus? quis non vitare labore?  
 Audio; sed fumum qui non vis, cur cupis ignem?  
 Quod re coniunctum est qui vult disiungere votis,  
 Iuraque naturae vanis mutare querelis,  
 Non is aquam cribro captat, vel dentibus vmbra?  
 Praeterea quoties insanae mentis et actae  
 Peruerse vitae confertur crimen in annos!  
 Vt puer imprudens accepto vulnere cultrum  
 Exsecrat abiectum, naturae qui sis iniquae?  
 Morborum, dicis, Senium circumfidet agmen;  
 Estne inter morbos, quaeso, insuperabile vallum  
 Atque iuuentutem? Quae febris acuta cruorem  
 Incendit iuuenisque volat furibunda per artus,  
 An minus est morbus, quam quae praecordia quassat  
 Tussis anhela Senis? Iuuenilis ne erigit aetas  
 An Senium in tergis gibbos, laterumue remittit  
 Vincula? vel reętis adseribit cruribus arcum?

## VI

Ergo quod aetati vitium est commune cuius,  
 Noli tu nimium conferre benignus in vnam.  
 Culpa si careat, satis est iniuria magna,  
 Quae furor aetatis primae peccauit, eorum  
 Ferre Senectutem poenas, totidemque podagrae  
 Reddere, quot Iuuenis cum Baccho perdidit, horas.

Deficiunt, fateor, grandaeuo in corpore vires,  
 Procedit dubius laxato poplite gressus,  
 Inque tremente manu baculus suffulcit iniquum  
 Annorum pondus; sed quis iuvenile requirit  
 In Senibus robur? quis remis adplicat? aut quis  
 Currere ad arma iubet? bellique togaeque labores  
 Sustineant alii, quibus est feruentior aetas,  
 Otia decrepitis statuit natura, sed illa,  
 Quae plus consilio, quam Mars bellator in armis,  
 Prospiciant patriae. Lectum censesne Senatum  
 Romae qui gladiis nudatis iret in hostem,  
 An qui consiliis fraenaret militis oestrum?  
 Num solos censes nauis curare salutem,  
 Qui malos scandunt, qui pandunt carbasa ventis,  
 Perque foros cursant et pulsant aequora remis?  
 Nil agit, ad remos feruente labore, quietus  
 Qui sedet in puppi, moderator? Nil agit inter  
 Caussidicos folio iudex taciturnus in alto?  
 Si sit, vt est permultis, somniculosa Senectus,  
 Hoc non annorum certe, sed mentis inertis  
 Atque iuuentutis vitium est ignauiter actae,  
 Fabula si vera est, quod succrescentibus annis  
 Torpeat ingenium, cur non in Socrate torpet?  
 Is dum floreret, num dixit acutius, aut quid  
 Verius inuenit, quam multis caluus ab annis?

Num

Num post lustra Plato tandem completa bis octo  
 Differuit quam deposita lanugine peius?  
 Vincit grandiloquo Sophocles in lite cothurno  
 Quae damnare cupit, stupet et deliria iudex.  
 Ne sint indomita corrosa libidine membra,  
 Nec via per tepidas ad canos facta popinas,  
 Sitque iuuentutis studiis stipata Senectus,  
 Non fructu, non deliciis, mihi crede, carebit.  
 Inter lasciuos hoedos annis grauis hircus  
 Illepide saltat, risu quatiente capellas;  
 Quis saltare iubet, natura quiescere quem vult?  
 Festa dies oritur, statuuntur pocula mensis,  
 Quae coquus inuenit gratissima quaeque palato  
 Iunguntur longa ferie, puerisque puellae;  
 Interea ieiuna Senis fastidia rumpunt  
 Viscera, et aspectat fugientes Tantalus vndas,  
 Et sitit. Hinc igitur vis vt succenseat annis,  
 Vnde sibi placeat? ratio quod nempe nequiuit,  
 Id cogit facile ratione potentior aetas;  
 Qui nunquam poterat superare cupidinis ignes,  
 Fit nunc extinctis annorum frigore flammis  
 Sponte sui victor, sine pugna, parcus, honestus.  
 Deme Senectutem, vitiis data vincula demis.

Nil habet ad speciem, fateor, maturior aetas:  
 Sed num tu, quoniam florescit pulchrior arbor,  
 Fructibus anteferes flores? Quis villicus vnquam  
 Colligit ex foliis moestus marcentibus vuas?  
 Non mala fors eius, valeat qui dicere: Vixi.  
 Quassatam infano nauim subducit ab Euro,  
 Atque laborantes prospectat in aequore puppes;  
 Ipse sed interea superata pericla, labores,

Quae

VII

Quae bene, quae grauiter, quaecunque salubriter egit,  
Mente recordatur, recubans in littore tutus.

„Hic patriae ciues seruauit, matribus illic  
Natos, errantes pelago quam saepe reduxi,  
Vincula detraxi captis, morientia vitae  
Corpora restitui, tumulis inhumataque texi!  
Nunquam pugnanti faeuis cum fluctibus hosti  
Durus iuppetias contumue manumue negauit,  
Non haec nostra manus naues post languida ducet,  
Sed ducent aliae centum, quas illa docebat.  
Ergo domi recubans operosus nauigo pontum,  
Nempe meis fractis, alienis viribus vtor;  
Sic mihi, non patriae, quam pergo iuuare, quiesco.  
Vnum nunc superest, mors vltima meta malorum,  
Corporis hospitio discedere gaudeo; Vidi  
Heu! vidi iuuenes, velut immatura procellis  
Saucia poma cadunt, diris occumbere fati,  
Me tempestiuam placide mors colliget vnam,  
Felix o! nimium felix, quem aetate peracta  
Nec vixisse pudet, nec mortis concutit horror.“

Haecce, VIRI, Vobis, qui iam per amoena iuuentae  
Arua tenetis iter, quibus et sua praemia Pallas  
Addit virtutis stimulum, cantata putate.  
Dat Deus, atque dabit Vobis, confidimus, annos,  
Annorum pretium, scitote, parabitur ipsi.  
Iam fugiunt Vobis, fugiunt velociter horae,  
Queis conquiratur serum thesaurus in vsum;  
Aut his, aut nullis, est laeta paranda Senectus.







**P**eropportune Senectutem laudasse mihi videor, cum iterum graues annis et meritis Duumviri laudandi sunt, qui ante haec decem lustra Philosophiae et Artium Magistri ab Amplissimo Philosophorum Ordine creati et renunciati, consenuerunt in litteris, et suo quisque loco iuuarunt litteras, atque ornarunt. Iam, ut quam diutissime fruantur beneficio Senectutis, quam imprimis litterae oblectant, vehementer optamus. Quae de vita sua ad me scripserunt, haec sunt:

**CAROLVS GVNTHERS LVDOVICI**

LOGICES PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, ACADEMIAE ET FACVLTATIS PHILOSOPHYCAE ARCHIVARIVS, COLLEGIO DVCALI COLLEGIATVS, REGIAE BORVSSICAE ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS, SOCIETATIS OECONOMICAE LIPSIENSIS, ET GERMANICAE, NEC NON LIBERALIVM ARTIVM, SODALIS, HVIVSQVE BIBLIOTHECARIVS.

**N**atus sum Lipsiae anno huius Seculi septimo, die mensis Augusti septimo, patre Christiano Ludouici, Sacrae Scripturae Doctore, Organique Aristotelici Professore publico ordinario, rel. matre Christina Sophia, e gente Ittigia. Puerile ingenium formauerunt domi idonei magistri, postea ludum litterarium Thomae adii, et sub eiusdem praeceptoribus merui. Albo academico inscriptus die xxv. Octobr. 1724. Rectore patre, et ab hoc tempore praecipue Philosophiae, postea vero Theologiae operam nauavi, ter quoque festis diebus, tempore Natiuitatis Christi 1724. et 1727, nec non Festo Reformationis Lutheri 1726, e suggestu aedis academicae orator auditus sum. Die xxiii. Iunii 1725. ab Amplissimo ordine Philosophorum honores Baccalaurei obtinui, eodemque anno, nec non sequentibus duobus, Lectiones Baccalaureatus in Auditorio maiore publice diebus canicularibus habui. Ao. 1728. d. xii. Febr. Magister artium creatus sum. Anno 1729. tres dissertationes de motu Spirituum, Praeses defendi, eodem anno inter membra Societatis,

B

tis,

nis, quae die Iouis singulis septimanis in aede Paulina declamant, cooptatus fui: 1730. die XXI. Ianuar. primum pro loco in Philosophorum Senatu obtinendo, et altera vice die quarto Nouembris eiusdem anni, disserui; eodem anno in Iubilaeo Augustanae Confessionis die XXIX. Iunii Dissertationem de auctoritate Augustanae Confessionis, proprio Marte conscriptam, sub praesidio D. Salomonis Deylingii, publico examini submissi, et mox deinceps Societatis germanicae Sodalis cooptatus sum: 1731. Facultas Philosophorum me titulo Assessoris sui Ordinis ornauit: 1733. die 6. Maii Professionem adeptus, nec non 1738. Societatis regiae Borussiae Scientiarum Berolinensis membrum factus sum: 1761. 21. Octobr. Professionem Organi Aristotelici, siue Logices publ. ord. auspiciatus, A. 1763. d. 5. Septbr. in Societatem liberalium artium Lipsiae receptus sum. Mense Octobr. eiusdem anni amplissimus Philosophorum Ordo me Decanum elegit, quam dignitatem postea ter sustinui, 1764. Procancellariatus munere in Facultate Philosophica functus, et hoc ipso anno Archiuarius dictae Facultatis, subsequenti vero anno Academiae Archiuarius dictus sum. Anno 1765. rectoram academiae administraui; 1767. Societas Oeconomica Lipsiensis me inter membra honoraria cooptavit; 1769. Deputatiouem Misnicae Nationis, nec non locum in Collegio Ducali obtinui, cuius Praeposituram ab anno 1774. usque 1775. gessi. Inter varia scripta sequentia forte notatu digna sunt: 1) Das große Universal-Lexicon aller Künste und Wissenschaften, vom 19. bis 64. Theil, nebst den Supplementen in 4 Theilen, in Folio. 2) Ausführlicher Entwurf einer vollständigen Historie der Wolffischen Philosophie, in 3 Theilen, in 8. 3) Ausführlicher Entwurf einer vollständigen Historie der Leibniz'schen Philosophie, in zwey Theilen, in 8. 4) Eröffnete Schatz der allgemeinen Weltgeschichte des gegenwärtigen Jahrhunderts, 1. bis 3ter Theil, in Folio. 5) Eröffnete Akademie der Kaufleute, oder vollständiges Kaufmanns-Lexicon, in 5 Theilen, med. 8. 6) Grundriß eines vollständigen Kaufmanns-Systems, nebst den Anfangsgründen der Handlungswissenschaft, und angehängter kurzen

Ge

Geschichte der Handlung zu Wasser und Lande, Leipzig,  
1756. median 8.

PAVLVS DANIEL LONGOLIVS.

ILLVSTRIS GYMNASII CVRIANI RECTOR, reliqua.

**L**ongueil gens per multa Secula in Gallia amplissimis aulae  
muneribus conspicua defecit demum, cuius a Schoepflino  
V. C. quondam factus fui certior, in Parisiorum Praeside anno  
MDCXXXI. Huius vna familia est nostra, cuius conditor ex  
Augustinorum, quod Dresda illa regia olim alebat, coenobio,  
transiit Wittenbergam, a Martino Luthero reformandus. In  
eius posteris inclaruit Michael, verbi diuini apud Borzilauientes  
in Bohemiae Leitmericensi prouincia praeco, versione Arndtii,  
Anatomiae et Laboratorii veri Christiani, in linguam Bohemo-  
rum. Huius pronepos Ioannes Daniel, patri suo Renato Danieli, in  
obeundo munere sacro Kesselsdorfii, praefecturae Misnenensis, pro-  
lio d. 15 Dec. anni MDCXXXV. ad id facto admodum atroci satis no-  
bilitati, substitutus, ex matrimonio ad d. x. Calendas Februarias  
anni MDCCLIV. cum Ioanna Magdalena, Pauli Koelbelii, pharmaco-  
pola Palaeodresdensis filia vnica inito, sustulit me ipsis Calen-  
dis Nouembribus post. A cunabulis puero, prout naturali cu-  
riositate stimulabatur, instillabant pro modulo aetatis saluberrimas  
doctrinas vtrumque probissimorum parentum par, pater ve-  
ro adultiori Latii Graeciaeque, praeter patriam, linguarum prin-  
cipia, dum re diuina facienda impeditus sibi adscisceret in me in-  
stituendo socium Boeclerum, sacri ministerii candidatum, quo  
fruebar duo annos. Iam studia adolescentis quindecim annos  
agentis extra limen patrium erant proferenda, nec quaerenda lon-  
ge schola, quae in vicinia erat parata atque prouisa. Crucia-  
num Dresdense tum regebat Ionas Gelenius, qui meum genito-  
rem optimis quibusque artibus fidelissime imbuerat. Is me,  
quem secundanis adseruerat, post octodecim menses in primam  
classen deduxerat, in qua per binos annos versatum, opera Gelenii,  
Gellii, Knauthii, Ziegenhalsii et Hubschii, idoneum habebat al-  
terioribus tractandis, secus ac mihi visum, qui inferioribus diutius

immorari existimabam ego, qui aliquando scholae vacaturus erat. Addito ergo anno tertio, eo certiori pace discessi Dresda Lipsiam, vbi tum Rectore eius Vniuersitatis literariae Magnifico Christ. Frid. Boernero, d. xv. Maii an. ccccxxxiv, in numerum ciuium istius fui receptus. Tum operam dedi in ebraicis Carpouio, Gesgenio, Starkio, in philosophicis Ienichenio, Lehmanno, Ludouico, Cortio, quo potissimum utebar duce in hauriendis quae ad humanitatem pertinent, vt et in iure prisco, in mathematicis Hausenio et Diezio, in historicis Io. Bure, Menkenio, in rerum diuinarum scientia Schmidio, Boernero, Klaufringio, Deylingio, atque Pfeiffero. Hocce stadio intra quadriennium fere emenso, praeter opinionem meam accidit, vt modo laudatus Menkenius mihi auctor suaeque existeret iuuentutis academicae potius docendae, quam multitudinis in aede sacra, quo cum maxime vocabar. Nec erat, quod me obsequii poeniteret. Commendabat me de meliori amplissimo almae Philypreae Philosophorum Ordini, quem cum satis explorauerant in frequenti panegyri, quinquaginta abhinc annis magistrum et doctorem liberalium artium praesentem rite renunciabant. Nec hoc contentus Fautor optimus, adhibebat me edendis rerum Germanicarum Scriptoribus, et libris ad Acta Eruditorum recensendis, quin imo praeficeret filio natu minori sacris academicis initiando, simul copia facta bibliothecae suae omnis generis librorum eorumque rarissimorum abundantis. Iam in hoc alto pinguique secessu studiis elegantioribus me plane adserens, nihil prius habebam, quam vt specimine publico constaret, qua in re opera mea esset collocanda. Nec fefellit spes mea, quin e cathedra philosophica, qua disputationem priorem *de θεωποδοσίας* origines a vulgari crudelitatis crimine vindicantem, iura Magistri legentis consecuturus proposueram, reuersum, adirent qui in philosophicis atque versandis graecis latinisque exemplaribus me sequerentur, in quibus non tirones tantummodo, sed et aliquot veteranorum, qui sponte currenti addebant calcaria penetrandi altius. Haec bene cessisse, mihi que aures hominum et ianuam famae aperuisse, non mihi tribuo, sed omnino ei, cui omnia debe-

be-

berus. In istis amicis integerrimus me seligebat comitem itineris per celebriores Saxoniae superioris pariter ac inferioris vrbes, quo pacto praecipuis illarum viris innotueram, vt Lipsiae redditus huc illucque vocarer, ac ipsi Proceres aulae tum regiae Dresdenfis literas exararent ad almam meam Lipsiam, vt mei habeatur ratio Professoris philosophiae extraordinarii. Dum ambigitur, Curia Regnitiana redduntur literae Ordinis philosophici Lipsiensis Decano, atque eius Collegis, petentes, vt binos philosophiae Magistros indicent, quos Serenissimo patriae Patri in locum paullo ante defuncti gymnasii sui rectoris commendet vrbis Senatus. Ex istis ego electus, ipsis calendis Ian. c. 15 1700 c. x. xv. Baruti, in illustri Christianernestino habitis per aliquot horas, praesentibus Senatus ecclesiastici Consiliariis grauissimis, et Collegii Professoribus quoque, lectionibus philosophicis, mathematicis, philologicis, tertio die post vocatus sum ad illud munus, ornatus, ante quam Lipsia demigrarem, iuribus Adfessoris Ordinis in me propensissimi, illudque adii a. d. xv. i. calendas Quintiles. Quot, quosue libellorum emisi, eorum praecipuos indicarunt illustres Viri, Harles in Vitis Philologorum, et Meusel in Germania erudita. Superesse tamen, quoad per aetatem licet, vigorem animi corporisque, vt efficiis fere de die in diem multiplicatis praesum alacer, acceptum fero summo Numini, quod mihi sit praesentissimum supplex adoro, dum spiritus hos reget artus.

## FRIDERICVS WILHELMVS WEISSIG

## HIRSCHBERGA SILESIVS.

**P**atre Iohanne Ephraim, Lycei Hirschbergensis Conrectore, inde Leobergam, atque hinc Harpersdorfum, sacris curandis euocato, natus est anno MDCCLIV. matre Eva Rosina Hackenbergia. Puerum in domo paterna instituit Bormannus, dum anno MDCCLXVIII. mitteretur in ludum Hirschbergensem, rectora Baueri V. Cl. nobilitatum. Huius potissimum ductu, graecis latinisque litteris fructuosam operam impendit;

in hebraicis, in theologiae aequae ac philosophiae elementis, usus doctoribus Schumanno et Brendelio, quorum disciplinam, atque insignem in se benevolentiam, gratissima mente recolit. Post annorum quatuor decursum misit eum pater Halam, theologiae discendae causa. Academiae eius ciuem scripsit Noesselus, cuius viri praelectionibus interfuit omnibus, integro triennio; neque tamen neglectis scholis Semleri, Gruneri, Griesbachii. Philosophiae doctorem secutus est Meierum; mathematicum et physices Eberhardum; Thunmannum in historia civili et litteraria. Linguae hebraicae studium profecutus est Schulzii ductu, et Vogelii A. M. Ad nostram studiorum Universitatem accessit ineunte anno proxime praeterito, relatus inter nostros Burschero rectore; mox, tentatus pro more, summos in Philosophia et artibus honores, quos modeste petierat, ab Ordine nostro merito obtinuit.

CURT FRIDERICVS DE SCHOENBERG

EQVES MISNICVS,

Dynasta in Hof, Oberschoena, Linde, rel.

**F**loret rerum domi militiaeque gestarum gloria, peruetusta Schoenbergiorum gens. Hac iste satus, patre Curt Alexandro, metallorum tota Russia, imperiali auctoritate, olim Directore, Ser. Pol. Reg. El. Saxon. Cubiculario, et metalli fodinarum per Misniam Inspectore primario, qui A. MDCCLIX. d. XXVIII. mensis Augusti, suscepit filium e coniuge Dorothea Friderica, e nobili Rauffendorfforum prosapia. Nondum bimulo, pater, praematura morte, ereptus est. Sarciuit eam iacturam pientissimae matris, matronae omnibus sui sexus decoris ornatissimae, in educando filiolo, sollicita cura: iam enim a quarto inde aetatis anno, vsa potissimum consilio Gellerti, delegit Hindenburgium V. Cl. elegantia morum et doctrinae copia vere eximium, qui ei continuo ad latus esset, fi-  
dum

dum moderatorem atque operosum, cuius consortio, ad hunc usque diem, magno suo commodo vitur. Istius igitur viri ductu, Lipsiae ut plurimum, (scriptus inter ciues nostros A. 1769. rectore Plazio,) adoleuit in litteris, estque vsus consiliis atque institutione Gellerti in primis, cuius amorem morum suauitate, aequae ac singulari in discendo alacritate, meruerat. Adhuc puer, visus est inter aequales vultu adducto, et ad aliquam grauitatem, (quam in illa aetatula vix expectes,) composito, semperque cogitabundus. Ingeniosus, et peracri iudicio, quod mature apparuit, mathematicen imprimis in deliciis habuit. Igitur arithmetica, geometria, trigonometria, et magnam partem algebrae, iam ante, quam nonum aetatis annum expleisset, ita tenuit, vt iam A. MDCCLXX. Commentationem de lineis curuis in genere, in specie autem de Parabola, Ellipsi, Hyperbola, mox deinceps A. MDCCLXXIII. aliam de Tangentibus, Quadraturis, atque rectificationibus Sectionum conicarum, aliarumque curuarum, ederet. Quibus accuratae atque insignis doctrinae speciminibus summorum virorum, etiam exterorum, suffragia meruit. Vt in hoc tramite, quem sibi imprimis delegerat, feliciter progredere, operam dedit Bortzio, Viro Amplissimo, cuius de se multa et magna merita dignis laudibus profequitur, estque illorum memoriam omni vita conseruaturus. Analysin doctus comes studiorum, Hindenburgius, vt aleret discendi cupiditatem adolescentis, qui natura factus ad seueriora haec studia videbatur. Inter haec physicas praelectiones Winkleri atque Hauboldi; super theoria musicae Funckii; super historia catholica Ernestii D. et Wenckii, frequentauit. Morum doctrinam praeiuit Gellertus, archaeologiam Ernestius, Clodius rem litterariam. Valetudine, inde a prima aetate, vsus est admodum debili, saepenumero cum grauibus morbis, medio studiorum cursu, conflictatus; tamen, etsi langueret adhuc, rediit alacris ad ea studia, quibus se totum dederat. Tali contentione atque assiduitate effecit, vt esset apud omnes in magna existimatione; cuius documentum publicum etiam Philosophorum Ordo Amplissimus, tributis generosissimo

fissi.no

ssimo Iuueni, in illustre exemplum, et honoris causa, Philosophiae Doctoris et bonarum artium Magistri honoribus, proposito nuper publico Diplomate, extare voluit.

TRAVGOTT FRIDERICVS BENEDICT

ANNABERGA MISNICVS.

**H**unc pater, Carolus Fridericus, Mercator atque Senator vr-  
bis Annabergensis, suscepit e coniuge Christiana Concor-  
dia, gente Hennigia, anno MDCCLVI. Matre praematura  
morte extincta, nouercam pater induxit liberis, Christianam  
Ludouicam Schedligiam, cuius memoriam pie recolit filius.  
Curam in se educando, recteque instituendo, patre prouidente,  
diligentem habuerunt domestici praeceptores, Bockius, Lorenz,  
Tzschokel, Flathe, e quorum disciplina transiit in ludum An-  
naemontanum, Gottlebero, Grimmio, Müllero, Raschio,  
praeceptoribus vsus, quibus, fatetur, meliorum litterarum se  
amorem debere, sed et facultatem, si quam haberet, in grae-  
cis latinisque litteris. Ita praeparatus venit Lipsiam, anno  
MDCCLXXIV. ciuibus nostris adscriptus, Theologiae nauatu-  
rus operam. Primum omnium Logicae et Metaphysicae causa  
Seydlizii scholas frequentauit, Clodii cum morum doctrinam  
traderet, Ludwigii in physicis, in mathematicis Bortzii. Mox  
ad Theologiam conuersus, vsus est doctoribus Ernestio, Rich-  
tero, Moro, Pezoldo. Litteris sacris rite interpretandis, secu-  
tus est iterum Ernestii, Thalemanni deinceps, Richteri, Mori,  
atque Dathii praecepta, quem etiam syriaca tradentem diligen-  
ter audiuit, vt Koernerum atque Thalemannum in homileticis  
praelectionibus. Inter haec etiam Burschero dedit operam, hi-  
storiae cognoscendae causa; humanitatis litteris vberius exco-  
lendis, Ernestiis, Clodio, Zeunio, Reitzio. Inprimis autem  
e Mori doctrina atque institutione se profecisse gratus meminit,  
cum is latine scribendi artem, continuis exercitationibus doce-  
ret, atque theologica tentamina institueret. Ita exacto lauda-  
biliter



biliter studiorum academicorum curriculo, Patronum nactus est Boehmum cuius commendatione accitus in domum ill. Winkleri, Consulis, Viri summi, duobus filiis comes studiorum et moderator additus est, daturus operam, vt benignitati splendidissimae gentis, quam, gratissimi animi sensu plenus, magnopere praedicat, fide atque diligentia in instituendis liberis respondeat. Philosophicos honores, anno proxime praeterito modeste petiit, estque Diplomate publice proposito merito consecutus.

GEORGIUS GVILIELMVS KIRSCH

CVRIANVS.

**N**atus Curiae anno Seculi LII. patre ciue honestissimo, panifice, matre Margaretha Sybilla, nata Mülleria, quorum parentum amorem atque liberalitatem praedicare satis non potest. Istorum beneficio domi institutus est puer, atque religionis praeceptis iisque omnibus imbutus, quorum capax aetas censetur. Adolescens Gymnasium Curianum adiit, praeclaris atque optimis praeceptoribus vsus, Kaysero, Hagenio, inprimis autem Longolio et Kappio. E disciplina istorum, quibus magnam gratiam rependit, venit huc Lipsiam Anno MDCCLXXII. rectore Boehmio in numerum discipulorum relatus. Ab eo tempore diligentem et continuam litteris operam nauauit. Philosophiae partes omnes didicit a Crusio, neque tamen ne lexit Platneri et Pezoldi scholas. Interpretandis Scriptoribus latinis Morum frequentauit, Ernestium, Clodium, Ekium, Morum etiam eloquentiae praecepta tradentem. In graecis Mori, Reitzii, Zeunii auditor fuit. Linguae hebraeae penitus cognoscendae causa, Bosseckium secutus est et Dathium, illum etiam vt chaldaica disceret; in augenda vero linguae Syriacae atque arabicae cognitione, Scharfenbergium sibi profuisse, lubens fateretur. Anglicae linguae facultatem aliquam Klaufringio debet. Historiae catholicae, philosophicae, ecclesiasticae,

C

ca,

cae, sacrorum emendationis, Geographiae item sacrae, cognitionem hausit ex ore Burscheri atque Ernestii. Boehmio adfuit historiam Statuum Europae, nec non Imperii Germanici tradenti. Scholas mathematicas Bortzii numquam deseruit; adsedit etiam Ludwigio, vim electricam experimentis stabili-  
enti. Secundum haec Theologiam omnem, doctore Crusio, peragravit; exegetin autem ex Ernestii praelectionibus petiit. Itavit etiam ad Pezoldum atque Hempelium. Fuit Koernerii auditor, cum is Boernerii Isagogen explicaret; Schotti atque Hommelii, Juris civilis et canonici causa. Postremo Bosium, Haasium, Krausium, Leonhardum, anatomen, physiologiam, pathologiam, chemiam praelegentes, assidue frequentavit. Iam, ut haberet publicum facultatis in litteris testimonium, tentatus atque probatus, anno vertente Magister Philosophiae et Artium e valuis publicis declaratus est.

## CHRISTIANVS FRIDERICVS SEYFERT

FRIBERGA MISNICVS.

**I**n finibus Saxoniae aduersus Bohemiam, haud procul oppido Seyda, vicus est, Oberneuschoenberg, quo pater huius, Christianus Fridericus, sacra curabat, cum anno huius aetatis LV. hunc filium susciperet e coniuge Ioanna Charlotta, gentis Pfeiliae. Parentis pietati prima sacrorum et litterarum elementa debet. Mox Fribergam missus, dexterrima Fritschii, Gebhardi, Hubleri, Lutheri, Bidermanni institutione usus est. Anno MDCCLXXIII. in hanc studiorum vniuersitatem se contulit, inter ciues relatus rectore Franckio. Hic ut humanae scientiae studium impenderet, philosophicis scholis atque rhetoricis Ernestii, Eloqui. Prof. interfuit, mathematicis Funecii. Cum autem studio theologiae se dicasset, adiit scholas Ernestii D. eiusque praelectionibus interfuit omnino omnibus; his adiunxit Thalemanni, Mori, Wolfii, dogmatica atque exegetica praecepta. Hebraica, Bosseckio et Dathio ducibus, didicit.

Atque

Atque istorum doctorum omnium humanitatem industriamque gratissimus agnoscit, uti et Amplissimi Senatus Fribergensis liberalitatem, qua, ut litterarum studiis posset libero a curis animo vacare, effectum est. Anno nuper exeunte, rediturus in patriam, honores nostros petiit, quod praemium doctrinae atque assiduitatis ab incluto Philosophorum Ordine, publicato Diplomate, facile impetrauit.

IMMANVEL BENIAMIN GOTTLIEB KRETCSHMAR

ZITTAVIA LVSATVS.

**N**atus anno Seculi XLIX. patre Benjamin Gottlieb, Theol. Candidato, matre Eleonora Sophia Koechleria, a quibus bene diligenterque educatus, christianae religionis principia, primas item litterulas edoctus est. Admodum puer missus in ludum Zittaviensem, praeceptores habuit Richterum, Bucherum, Frühaufium, Müllerum, Goesselium, Schneiderum, ex quorum disciplina tum publica, tum priuata, fructus se vberimos cepisse, gratissimo animo testatur. Laudat quoque institutionem Trieri in musicis, in lingua gallica Steinhäuseri, Bennewitzii in mathematicis atque delineandi arte. Inprimis autem liberalitatis Patronorum meminit, qui parentum inopiae, beneficiis filio tributis, succurrerint. Agmen istorum ducit Hefterus Zittav. Poliater; quem imitati Besserus, Iustus, Rengerus, Mükius, Freudiger, Neumannus, aliique plures, stimulos addiderunt discendi cupido adolescenti, qui venit anno MDCCLXXII. Lipsiam, rectore Boehmio, patronos et hic nactus, qui in locum Zittaviensium succederent. Laudat eo nomine Burscherum, Morum, Michaelem M. D. qui commendatione, consiliis, immo et re iuuerint, ita ut laetissimum studiorum initium facere posset. E Seydlitzii scholis philosophicis, transit in Crusii theologicas, quibus interfuit omnibus. Libros V. T. interpretantes audiuit eundem Crusium, Burscherum, Koernerum, Boffekium; Ernestium, Thalemannum, Koernerum, Richterum,

Morum, cum illi libros N. T. explanarent. Homileticam artem, ut vocant, a Koernerō; a Dresdio et Heimpelio antiquitates sacras didicit. Historiae causa Ernestio adfedit, atque Burschero. Hebraica docuit Dresdus, graeca Zeunius, latina Morus, Reitzius artem dicendi et scribendi. Bosio in se-  
 ctione cadauerum bis adfuit; Platnero, cum de oeconomia corporis humani praeciperet. Toto hoc studiorum cursu, electo-  
 rali stipendio, altero Senatus Zittauiensis, munificentia item ill. Dom. de Ponickau, Ser. Electori a bellicis consiliis intimis, re-  
 creatus, non sensit paupertatem, quam domo attulerat. Su-  
 per haec commendatus a Moro celebri mercatori Schmidio, liberis instituendis, non potest verbis sat dignis celebrare bene-  
 ficia, quibus in ea domo adhuc fruitur. Nuper ab Ordine Philosophorum, Philosophiae et Artium Magistri dignitatem, ut petierat, rite tentatus, obtinuit.

CHRISTIANVS GODOFREDVS KOERNER

LIPSIENSIS

Iuris vtriusque Baccalaureus.

**N**atus est anno Seculi LVI. patre Ioanne Godofredo, S. Theol. D. et Prof. Publ. Ordin. ad aedem Thomanam Pastore, atque Dioeceseos Lips. Ephoro, viro summo, meisque laudibus maiore; matre Sophia Margaretha, Stirneri, nobilis nuper in hac vrbe mercatoris, filia. Horum parentum pietatem in se, atque in educando curam, mavult tacita veneratione prosequi, quam non digne satis pro gratissimi animi sensu eloqui. E domesticis praeceptoribus, quorum fidei atque institutioni inde a tenerrima aetate creditus erat, laudat inprimis Ernsterum A. M. Eccl. Tauchensis Pastorem, qui tam praeclare de se meritis sit, ut, quibus virum laudibus pro dignitate extollat, fateatur se nescire. Missus est deinceps in Scholam Nicolaitanam, in qua praeceptoribus vsus est Keiskio, Adamio, Funckio, Thiemio inprimis, quem etiam in Schola  
 Tho-

Thomana postmodum docentem audiuit, magno suo commo-  
do, quod lubens fatetur. Inde misit eum pater in ludum Gri-  
manum, commendauitque potissimum Mükio, cuius vere pa-  
ternam curam, atque in se formando indefessum studium, omni  
vita se gratissima mens agnitorum pollicetur. Tamen et Kreb-  
fii rectoris, Hofmanni, Reichardi, Richteri, institutione usus  
est, dum triennio exacto ad nos rediret anno MDCCLXXII.  
Hic philosophiae doctorem Platnerum secutus est; theologiae  
dogmata, historiam ecclesiasticam, antiquitates romanas, et  
archaeologiam litterariam, ex Ernestii praelectionibus percepit;  
historiae Imperii et patriae causa, Boehmio adsedet, ut Moro  
graecas latinasque litteras docenti, cuius etiam exercitationibus  
dicendi scribendique diligenter interfuit. Fuit etiam inter au-  
ditores Crusii, cum ille physicen doceret, Wenkii, historiam  
Europae Statuum tradentis. Iam ad Iurisprudentiam, cui se  
dicauerat, conuersus, omnes eius partes, Hommelio, Zollero,  
Segero, Püttmanno, Sammeto, Schotto, Rauio, Kindio, prae-  
claris doctoribus, peragrauit; postremo tentamina instituenti  
Wollio adfuit. Praedicat virorum istorum omnium humani-  
tatem erga se, atque beneuolentiam, in docendo dexteritatem  
et fidem. Super haec anno MDCCLXXVI. ill. Ictorum Ord.  
auctoritate, praefide Püttmanno, *de rutis caesis* dissertationem  
publice atque ita defendit, ut spem de se conceptam egregie  
confirmaret. Mox lectionibus pro Candidatura habitis, supe-  
ratoque examine, Baccalaureus iuris creatus est. Exeunte eo-  
dem anno Goettingam properauit. Ibi annum vnum commo-  
ratus, Pütterum audiuit, historiam atque Ius publicum Ger-  
maniae praelegentem; interfuit etiam istius exercitationibus  
practicis. Ius feudale et canonicum Boehmerus, Beckmannus  
mineralogiam et oeconomias disciplinas, doctrinam item de po-  
litia, et publicorum reddituum administratione, praeiterunt. In-  
ter haec et physicas lectiones Erxlebenii, Gattereri diplomati-  
cas, archaeologicas Heynii, Schloetzeri Statisticas, assidue fre-  
quentauit. Redux Lipsiam, doctrinae praemium, honores in  
C 3 philo-

philosophia summos, Diplomate publice proposito, consecutus est.

FRIDERICVS IACOBVS GVILIELMVS SCHLEVSNER

LIPSIENSIS.

**P**atre Friderico Guilielmo, S. Th. Licent. et ad aedem Thomanam Archidiacono, matre Ioanna Regina Scholuinia, natus in hac vrbe anno Seculi LIV. cum cura educatus, ab ineunte aetate ad religionem et bonarum litterarum amorem ductus est domestica disciplina Matthiae, Krausii, Blüheri, Opitii denique. Patre cito orbatus, transit anno LXIX. in scholam Thomanam, secutus praeceptores, qui ibi bonas litteras docent, omnes, potissimum Fischerum rectorem, et Thiemium, quorum gratus laudat doctrinam, institutionem, sed et humanitatem atque beneuolentiam extollit. Anno MDCCLXXIV. ad Academiam accessit, iam Anno LXVIII. a Cruxio ciuium academicorum numero adscriptus, cui viro, ait, se, post parentes, plurimum debere. Interfuit praelectionibus eius omnibus, publicis et priuatis, philosophicis aequae ac theologicis, neque fere ab eius latere discessit, quod in lucro ponit. Meminit etiam Ernestii, cum libros N. T. explicaret atque illustraret; Burscheri, historiam catholicam, ecclesiasticam, philosophicam, et religionis per Lutherum restauratae, tradentis; Koerner denique, in interpretatione hymnorum Dauidis. Pezoldum secutus est in dogmatica et morali theologia, et in explanatione Actuum Apostolorum. In mathematicis praeceptorem habuit Bortzium, in hebraicis Bosssekium, in graecis Morum, Funcium in Astrognozia. Doctorum istorum omnia agnoscit fructuosam sibi institutionem fuisse, spondetque, gratam eius memoriam numquam se ex animo dimissurum esse. Sustenta- uit cum in hoc studiorum cursu etiam electoralis benignitas, liberalitas item Theologorum Ordinis; quae beneficia sibi tributa deuotissi-  
mo

no animo agnoscit. Naper, anno vertente, Philosophiae et artium Magister, vt petierat, creatus est.

## IOANNES CASPAR BUNDSCHUH

SVINFURTENSIS.

**N**atus Suinfurti, patre cognomine, ephippiario, quem illi ante annos aliquot mors eripuit, sed matrem, natam Vieneriam, veneratur superstitem. Initia doctrinae didicit in schola Suinfurtensi, vnde anno MDCCLXXIII. venit Lipsiam, a Frankio rectore ciuium numero adscriptus. Philosophiae duces et auctores habuit Ernestium Eloqu. Profess. et Platnerum; Mathesin duce Bortzio, Physicem duce Funcchio tractauit. Hebraicas litteras a Dathio didicit; audiuit Thalemannum, Hagogen Boernerianam explicantem. Theologiae omni operam dedit in scholis Ernestii, qui ei dogmata theologiae, historiam catholicam, et Ecclesiae, rationem libros sacros interpretandi, antiquitates, et litterariam archaeologiam tradidit. Adit etiam scholas Mori, qui sacros noui Testamenti et profanos scriptores graecos latinosque interpretatus est; interfuit eiusdem scholis, examinando, scribendo, atque differendo destinatis. Receptus in meam domum, a moribus et doctrina mihi commendatus, curam habuit liberorum meorum natu minorum instituendorum; quam ille spartam non modo numquam deseruit, sed ornauit etiam. Eadem haec commoratio Lipsiensis conciliauit ei amicitiam Henrici A. M. pastoris Gautschenfis, quam adeo fidam expertus est, vt magnam iudicet felicitatis suae partem illa coniunctione niti, eamque se sancte culturum polliceatur. Anno MDCCLXXV. rediit in patriam, et, eum aliorum patronorum fauore, tum praesertim commendatione Brenneri, viri illustris, receptus est anno MDCCLXXVII. in numerum praeceptorum gymnasii Suinfurtensis, inter quos ei quartus locus assignatus est. Mox ad tertium ascendit, et nuper admodum, cum Conrector graui morbo adflictus esset, constitutus est vicarius Conrector. Recentissime Philosophiae Magister

gistr

gistri honores ab Ordine Philos. modeste petiit, et, Diploma-  
te publicato, ineunte hoc anno obtinuit.

SAMVEL TRAVGOTT MÜCKE

SORAVIA LVSATVS.

**N**atus Soraviae anno Seculi LVI. patre Daniele, mercatore,  
matre Maria Hedwig, gentis Dreyffigmarkiae. In pri-  
ma puèritia, optimi parentes priuata institutione edoceri filium  
curarunt, mox miserunt in Lyceum eius vrbs, vbi Schmi-  
dio. Koerner, et Kühnio rectore, praeceptoribus vsus est.  
Laudat virorum istorum disciplinam, simul vero beneficium in-  
gens aulici concionatoris Sauerbrey, tradendis litteris hebrai-  
cis. Anno deinceps MDCCLXXV. ad nos se contulit, scriptus  
inter academiae ciues rectore Plazio. Hic a philosophia initium  
discendi fecit, Seydlitium secutus, cuius scholis interfuit omni-  
bus, atque de proluxa eius erga se voluntate magnopere laetatur.  
Metaphysicam didicit Zeunio praeunte, omnem philosophiam  
deinceps doctore Platnero. Graecarum latinarumque littera-  
rum causa Moro adsedit et Reitzio, cuius etiam interfuit latine  
scribendi dicendique exercitationibus. Omnibus theologiae  
partibus accurate pernoscentis, discipulum Ernestii fuisse, be-  
neficium longe maximum interpretatur; audiuit tamen et Cru-  
sium contra profanos differentem; Thalemannum dogmatica,  
exegetica, homiletica tradentem; Koernerum, super Isagoge  
in vniuersam theologiam, historia ecclesiastica, et concionan-  
di arte. Dathio adsedit, cum aliquot V. T. libros explicaret,  
et linguam arabicam doceret; Idio, in prophetas minores com-  
mentanti, et theologiam vniuersam examinando tradenti. In-  
de Burscherum adiit, historiam restauratorum sacrorum enar-  
rantem; Boehmum, historiae Imperii Germanici, et Saxo-  
niae, causa. Gehleri auditor fuit in mathematicis atque astro-  
nomicis, in iure canonico Hommelii. Ita litteris bene excul-  
tus, poterat honores Magisterii ambire, quos, tentamine insti-  
tuto,



nato, Februario mense exeunte, Diplomate indice, consecutus est.

CAROLVS AVGVSTVS GOTTLIEB KEIL

HAYNA MISNICVS.

**N**atus anno Seculi LIV. patre Ioanne Theophilo, e censuabilibus Electoris, matre Iohanna Rahele Berringeria. Vtrumque parentem quatuor annorum puer amisit, curam igitur educationis suscepit auunculus Berringerus, Senatus Lips. praeco, qui, posteaquam ludum Hainensem aliquamdiu adolescentulus frequentasset, eum ad se euocauit anno LXIV. tradiditque Nicolaitanae Scholae magistris erudiendum, quorum deinceps disciplina vsus est nouem annis continuis. Omnium istorum sancta illi est memoria, Reiskii inprimis et Funckii, quorum institutionem sibi inprimis fructuosam fuisse intellexit. Mortuo interea auunculo, scholam reliquit anno LXXIII. academiae cuius iam anno LXXI. Segero rectore adscriptus. Cum sciret, philosophiae et litterarum meliorum praesidiis destituto, omnem ad veram accuratamque doctrinam aditum praeccludi, hanc sibi tenendam studiorum rationem putauit, vt primos academiae vitae annos illis ipsis impenderet. Igitur in philosophia Platnerum secutus est, post Zeunium; in iure naturae Sammetum; in Mathesi Bortzium, in physicis Funccium, cuius eximiam in se beneuolentiam omni tempore expertus est. Historiam Statuum Europae Wenckius ei tradidit. Humaniorum litterarum causa adiit Ernestium, historiam catholicam, antiquitates romanas, et archaeologiam litterariam tradentem; Morum deinceps, vtriusque linguae scriptores explicantem, Ernestium denique, Aen. Virgil. L. I. et IV. et Ciceronis in Verrem Oratt. interpretantem. Eloquentiae praecepta in Mori atque eiusdem Ernestii, Eloqu. Prof. cui se praeterea et aliis beneuolentiae documentis obstrictum profitetur, scholis cognouit. In iis ad vsum conuertendis, Zeunio primum, post et Moro duce, profecit. Inter haec et linguae anglicae atque gallicae operam dedit, Klau-  
D singio

ingio et Patro ducibus. Iam avidus theologiae cognoscendae, ab arte interpretandi sacras Scripturas recte orsus, Ernestium audiuit interpretantem euangelium Ioannis, reliquos fere omnes N. T. libros Morus explicavit. Quod ad V. T. attinet, Psalmos, Ecclesiasten, atque Samuelis libros Dathius, librum Iudicum Antonius, Genesim atque Danielelem, vna cum linguae chaldaicae elementis, Scharfenbergius, ei exposuerunt. Ut vero his lectionibus cum fructu interesset, Ernestii prius atque Thalemanni scholas adierat, quibus ille interpretis N. T. officia exponebat, hic autem Boernerii Isagogen enarrabat. His deinde etiam ecclesiasticae historiae cognitionem, quam Ernestius atque Koernerus ei tradiderunt, adiecit. Denique, quam in praelectionibus Crusii atque Ernestii dogmaticae theologiae scientiam sibi comparauerat, eam Morus per examina exploravit. Tandem iuris canonici causa Hommelii scholas frequentavit. Horum vero ut omnium doctorum summa in se merita agnoscit, ita imprimis Mori eximiam humanitatem atque benevolentiam, eiusque fidelissimam institutionem, publice hic praedicandam sibi sumeret, nisi grati potius animi sensu, quam verbis, quae consuetudine ambigua saepe reddi solent, haec tanta eius beneficia prosequi constituisset. Meminit etiam eorum, quos ex affinitate fautores nactus est, Koenigii maxime A. M. et ad aedem Crucis Dresdae Diaconi, atque Vockerohti, in amplissimo munere a Senatu Lipsiensi constituti; quorum ille stipendium liberalissime praebuerit, hic consilio et opera iuuerit. Vtrique patronorum maximas a se gratias deberi, ingenue profitetur. Anno LXXV. iubente Ernestio, de vitiiis, e studio dogmata religionis christianae ad humanae rationis arbitrium constituendi, in aede Paullina publice dicendi copiam nactus est.

## CASPAR EICHLER

LIPSIENSIS.

**N**atus anno aetatis huius LIII. patre cognomine, ciue huius urbis, matre Ioanna Magdalena Winkleria. Quum puer  
nouen-

nouennis patre esset orbatus, opportune in affinitatem venit Olbrechti, Archigrammateos Senatus Lipsiensis, viri doctrina, humanitate, atque meritis clari, qui quidem plus quam paternam adolescentis curam gessit. Ab hoc in disciplinam scholae Thomanae traditus, per nouem annos praestantissimorum praceptorum institutione profecit, inter quos maxime Fischerum sibi contigisse gaudet, qui tantum veterum auctorum amorem sibi ingesserit, vt nunquam eorum lectionem abiicere decreuerit, ita tamen, vt etiam recentiorum ingenia cum iis compararet. Hoc modo praeparatus ad Academiam accessit, theologiae se daturus. Quo consilio lectionibus Crusii et Ernestii theologicis interfuit, quorum illum ducem in omni philosophia secutus est, hunc, historiam catholicam et archaeologiam litterariam tradentem, audiuit. A Burschero historiam philosophicam hausit, a Bortzio mathesin; Platnero assiduus adfuit cum anthropologiam publice doceret. Iam, exactis in hac studiorum vniuersitate annis tribus, Goettingam abiit. Hic, quum adhuc philosophiae studio aliquantum inhaesisset, in eo, coniuncto cum mathesi, et posthabita theologia, omne tempus, quod sibi commorari Goettingae liceret, ponere constituit. Ad mathesin quidem excitatus illustris Kaestneri auctoritate, qui propter communem patriam ei maxime fauebat, illum ipsum in hoc studio praceptorem habuit. Audiuit praeterea Hollmannum, Federum, Meisterum mathematicum, Erxlebenium, quorum in se merita nunquam se ex animo dimissurum spondet. In exteris quum vnum annum et dimidium exegisset, in patriam reuersus est.

## CHRISTIANVS DANIEL BECK

## LIPSIENSIS.

**H**uius, de vita sua, deque studiis ad me scripta, haec sunt: Natus anno huius saeculi quinquagesimo septimo, patre Ioh. Daniele, qui permutandis negotiatorum pecuniis et chirographis operam praestat, matre Eleonora Catharina Stemleria, vt mature litteris operam darem, effecit cum parentum cura, tum imprimis Stemleri, qui materni fratris, prouidentia. Is enim,

eum femina amoris litterarum in animo puerili sparsa esse videret, viris, qui ea excitarent, me tradidit idoneis, praecipue Ir-  
 mischio, Viro eruditissimo. Cuius gratam in doctrina discipli-  
 naque seueritatem cum mirifice adamarem, optimum praecepto-  
 rem, sacris Poertensibus prope Cizam praesse ab Ill. Bornio ius-  
 sum, annuentibus et parentibus et auunculo, secutus sum. Qua  
 quidem ex rusticatione vberes cepi et diuturnos fructus, quod  
 non solum auocabar sic ab vrbaniis illis deliciis, grauis doctrinae  
 pestibus, et assuescebam duriori vitae rationi, litterarum studiis  
 amicae, sed etiam incredibili praeceptoris diligentia bene libera-  
 literque institutus, poteram recte in scholam Thomanam profi-  
 cisci. Reuersus enim in patriam, ad ludum illum litterarium,  
 tanquam ad mercaturam bonarum artium, aduolauit; vnde in-  
 nem redire cum turpissimum esset, copias sapientiae diuinae hu-  
 manaeque, quas superiores magistri, Thiemijs inprimis atque  
 Fischerus, exponebant, auide collegi. Quorum quidem magi-  
 strorum et laudes tantae splendent, vt praeterire malim, quam  
 leuiter attingere; neque enim persequi oratione valeo; et me-  
 rita in me tam multa, vt recensere singula nullo modo possint.  
 Ornarent enim me doctores illi duo clarissimi multis modis,  
 omnem vitam meam praeceptis gubernarunt suis, copiam opti-  
 morum librorum et cognoscendorum, et legendorum, fecerunt,  
 ita denique erga me affecti sunt, vt confidere possem, eos, vbi  
 viderint me vnice hoc sequi, vt studio ipsorum et amore di-  
 gnus reperiar, eo me esse complexuros. Acceperam ab iis,  
 quantum ad afflictos erigendos valeant bonae litterae, quam qui-  
 dem earum vim mox ipse expertus sum. Nam cum grauissima  
 illa inciderent tempora, quae, Stemlero etiam meo orbatum,  
 facile poterant a studiis litterarum auocare, hae ipsae litterae,  
 quibus assidue vtor, me ita consolatae sunt et confirmarunt, vt,  
 adiutus postea munificentia Senatus Lips. ampliss. etiam paullo  
 acrius eas et studiosius sectarer. Adii in hac Academia, cui a.  
 72., rectore Boehmio, nomen dederam, sed in quam tribus de-  
 mum annis post transferam, scholas summorum virorum, qui-  
 bus barbari et sacri vtriusque generis scriptores explicarentur,  
 re-

religionis Christianae et praecepta et fata exponerentur, Ernestii, Mori, Dathii, Koernerii, Burfcheri, historicas Boehmii, philosophicas Seydlitii et Platnerii, mathematicas et astronomicas Bortzii, phycas Funcii. Praeter hos magistros celeberrimos contigerunt mihi studiorum fautores et adiutores nobilissimi atque eruditissimi, Küstnerus, Winklerus, Coss. Mullerus Proc. Belius, alique, inprimis vero Morus atque Boehmius. Qui cum sermonibus praeceptisque non minus, quam commendatione et liberalitate sua, in perpetuum me sibi deuinxissent; beneficia omnia, quae, quo minus copiosius enarrarem, et multitudo eorum, et virorum doctissimorum humanitas impediuit, ne male collocasse videantur, diligentissime elaborabo. Boehmii praecipua quaedam et fere immortalia in me extant merita, quorum, quod maximum est, etsi nolebat summa viri modestia commemorari, tamen horum ipsorum, quos ei debeo, philosophicorum honorum grauis vox, vt gratus praedicarem, non postulare, sed flagitare videbatur. Cui quidem summi Viri beneficentiae, cum omnibus pietatis officiis, tum ita respondebo, vt ostendam semper et vbique, me eius esse et discipulum probum, et pium clientem, hoc est, omnibus semper viribus hoc agam, vt virtutis humanitatisque, diligentiae et assiduitatis laudibus, nemini vnquam cedam. His enim optimis studiis, me et ipsi Viro illustri, et patronis aliis omnibus, cumulate satisfacturum esse, quis non videat?

IOANNES GOTTLÖB LVNZE

SIPTICENSIS MISNICVS.

**I**n Sipticensi vico natus anno Seculi LIII. patre Ioanne Gottlob, Ludi moderatore, matre Ioanna Christiana Elifabetha, parentibus quidem pauperibus atque obscuris, filio tamen longe carissimis. Primis annis pater puerum, et Pastor eo loco Beutlerus, instituerunt. Anno LXVI. in scholam Torgauensem missus, Olpii, Syndenisi, Beutneri disciplina, per annum integrum vsus, iam in eo erat vt in scholam Grimmensem demigraret, sed subita mors patris, matrisque inopia, domi adolescen-

D 3

tem

rem detinuerunt. Omni igitur literas colendi consilio abiecto, de futura vitae ratione incertus, patris interea munere fungebatur. Non ita multo post Krebsius, ill. Moldani rector, persuasit matri, vt, renouato priore consilio, filium ad se mitteret. Laetus hic eo, nec sine mora se contulit, integro sexennio gausus institutione optimo um praeceptorum, Richteri Reichardi, Hofmanni, Mückii, Krebsii, quorum omnium amorem atque beneuolentiam magnopere praedicat. Anno LXXIII venit Lipsiam, destitutus rebus iis omnibus, quae ad vitam vtcunque tolerandam pertinent. Ipso aduentus die incidit in commilitonem, qui, tamquam deus aliquis ex machina, re et consilio iuuuit; commendauit enim correctori cuidam, vt vocant, qui recepit aduenam in domum, victum praebuit, atque emendandis typoseta- rum erroribus adhibuit. Sed cum hic labor alduerit nimium quantum a studio litterarum, peropportune succurrit Triebsbachii A. M. beneuolentia; nam in eius contubernium adsumtus, commendatione item suffultus, institutione liberorum victum quaesuit. Iam quidquid cessare potuit, litteris tribuit ita, vt scholas Ernesti vtriusque, Burscheri, Koerneri, Thalemanni, Bosseckii, Seydlitii, Platneri, Mori, Reitzii, Wolfii, Lohdii, frequentaret, philosophiae et theologiae causa. Stipendiis auctus est altero electorali, Wurcensi altero, tribuente Dom. de Zedwitz; beneficium conuictus publici Koenero debet. Reliquos Patronos veneratur Bauerum, Antilitem Wurcensem, Reichardum, scholae Grimmenfis Collegam, Triebsbachium A. M. quem vt alterum patrem veneratur; in hac ipsa vrbe Boehmum, Seydlitium, Ernestios, Weillium A. M. Baumannum D. atque Sikelium, nobilem mercatorem, qui ante biennium, filium, liberalis indolis atque capacis ingenii pue um, instituendum ei credidit, tributis ad hunc vsque diem multis et magnis beneficiis. Istorum Patronorum omnium voluntatem in se, maualt tacita veneratione prosequi, quam o nare laudibus. Vt posset honores nostros petere, Misenenfi stipendio, a benefica Seydlitii manu sibi collato, maximam partem tribuit.

## IOANNES FRIDERICVS ADAMVS KIRSTEN

NEBRA THVRINGVS.

Natus A. huius Sec. LIII. Patre Ioh. Gottlibo, Iudiciis Ill. Comitum ab Hoym praefecto, matre Ioh. Eleonora Rolia, parentibus, pietatis laude, omnisque virtutis genere nobilissimis; quorum prouidentia cum puer admodum ingenii formandi causa traditus esset praeceptoribus eius urbis optimis, Huttnero et Wolframo, paucis post annis, ut ad altiora quaedam praepararetur, missus est in Scholam Thomanam, disciplina clarissimorum virorum nobilissimam, ubi alumnorum numero adscriptus, praeceptores habuit Andream Krigelium, Hofmannum, Thiemium, atque Fischerum, quorum omnium doctrinam, fidem, virtutemque, maximi facit; Fischerum rectorem, propter incredibilia, quibus in Academia eum auxit beneficia, Parentis loco semper habiturus. Exactis in hoc ludo annis septem, accessit ad Academiam A. MDCCCLXXIV, rectore Bosio. Ibi operam dedit Platnero et Seydlitio, philosophiae praecepta tradentibus, quorum et doctrinam et liberalitatem gratus agnoscit. Tres ipsos annos usus est Ernestio, de cuius in se meritis quoniam ipse sibi optime conscius est, ita tacet, ut iis nihil vel ad laudem gloriosius, vel ad pietatis studium acrius putet. Ernestium Prof. El. rerum suarum fautorem, audiuit explicare Taciti de moribus Germanorum libellum, Reizium vero Aristophanis Nubes interpretantem. Crusii in metaphysicis disciplinam vix cognitam sibi eripuit immatura viri mors; reuocauit tamen eam Pezoldi diligentia. Bahrtdium audiuit tradentem praecepta morum, Burscherum vero historiam omnem accurate et copiose docentem. Interfuit Koerneris lectionibus dogmaticis, nec non Thalemanni sermonibus in libellum Boernerianum. In mathematicis Bortzii acumen ingeniumque admiratus est, in physicis nihil doctius cognovit Ludwigo, de cuius fauore atque beneuolentia vehementer laetatur. In hebraica lingua valde ei profuit Dathius, et Idius,

Idius, Patrenus pie colendus: inprimis vero Scharfenbergius, cuius accuratam veterum linguarum doctrinam non minus, quam copiosissimam bibliothecam, semper sibi patuisse, vehementer gaudet. Historiam Imperii Germ. accepit a Boehmio: per omne autem tempus academicum Mori doctrina, consiliis, omninoque omni disciplina ita usus est, et adhuc utitur, ut eum felicitatis auctorem suae perpetuo se veneraturum esse sanctissime confirmet. Praeter laudatorum Virorum in se liberalitatem ac benevolentiam, praedicandum sibi publice profitetur fauorem singularem Ill. Winkleri, Consulis Lipsiensis, totius item Facultatis Philosophicae, quae non minus quam Winklerus stipendio auxit; quam liberalitatem nisi re, certe studio ac diligentia ita studebit assequi, ut se vere gratum esse intelligatur. Denique gratus agnoscit studia erga se suosque Oelzii, Nebrani, qui Patri successit, nec non Lipsiae Mercatoris prudentia atque pietate nobilissimi, du Vigneau, cuius beniuolentiam liberorum optima spei disciplina fideli, quam verbis copiosis, praedicare mauult.

## CHRISTIANVS FRIDERICVS SONNENKALB

SCHNEEBERGA MISNICVS.

**P**ater huius, Ioannes Fridericus, urbis Schneebergensis Senator, sustulit hunc filium anno Seculi LIII. e coniuge Christiana Friderica Lichtenhahnia. Puerum, praeter parentes, instituerunt Schreiberus, Schreierus, et Schmiderus; mox in scholam eius urbis publicam missus, profecit doctoribus Morgenrothio, Hofmanno, Stumpfio, Andreae, Reusmanno, quorum disciplinae gratus menimit. Anno aetatis huius LXXIV. rectore Ernestio Prof. Eloqu. ius civitatis academicae adeptus, philosophiae operam dedit in Seydlitii scholis; in physica et mathesi Funccium doctorem secutus est; in historia vniuersa Burscherum. Cum ad theologiam animum adplicuisset, scholas Crusii, Ernesti, Seydlitii, diligenter frequentauit; Ecclesiae, atque instauratae per Lutherum religionis historiam, Koernerus; Wolfus et Scharfenbergius interpretationem librorum sacrorum

V.



V. et N. T. tradiderunt. Fuit etiam inter auditores Breunigii, iuris naturae et canonici causa. Patronos imprimis experus Consultiss. D. Brehmium, et cognatum suum Dittericum, a quibus, fatetur, se tot ac tanta beneficia accepisse, ut iis neque enumerandis, neque laudandis pro dignitate, sufficere se intelligat.

CAROLVS GVSTAVVS BREVNIG

LOEBAVIA LVSATVS.

**N**atus anno Seculi LV. patre Christophoro Traugott, urbis Loebaviensis quondam Senatore, matre Sophia Elisabetha, Thomae mercatoris filia, quorum parentum cura atque benignitate non diu gauisus est, nam praemature fato, cum ipse vix decimum aetatis annum attigisset, vitam reliquerunt. Iam igitur in Bernhardi, viri honestissimi, tutelam venit, et huius prouidentia in disciplinam Guettelii A. M. qui puerile ingenium ita formavit, atque ad amorem litterarum duxit, ut non ita multo post scholas publicas, rectore Heynizio florentes, frequentare posset. Huic viro se innumera debere gratus proficitur. Ille enim miseris circumseptum adolescentem suscepit, fouit, sustentavit, et filiolo deinceps suo comitem atque ducem, in optimarum artium initiis discendis, addidit. Commendavit etiam splendidae Herrmanuorum genti, quae apud Loebavienses nunc maxime floret, a qua multis beneficiis ornatum se proficitur. Inter reliquos fautores meminit Beckelii, Conrectoris, et tutoris olim sui Bernhardi, viri honestissimi, quorum benevolentiam grata memoria omni tempore prosequetur. Iam relicta Lusatia venit Lipsiam, rectore Ernestio Eloqu. Prof. theologiae operam nauaturus, neque tamen seposito humaniorum litterarum studio. Igitur Ernestio D. in omnibus omnino praelectionibus adfuit, sed etiam Burschero, Thalemanno, Koernerio, Dathio et Scharfenbergio, linguarum orientis causa. Morum audiuit, graecos latinosque Scriptores interpretantem; Lohdium super Actis Apostolorum; Hommelium ius Ca-

E

noni.

nonicum docentem. Reliquorum praeceptorum, quos philosophiae matheseos, physicae, historiae denique causa secutus est, ut Crusii, Platneri, Bortzii, Gehleri, Ludwigii, Boehmii, Wenkii, Mori, Clodii, Forbigeri, praedicat multa et magna in se merita, estque illis gratam memoriam tota vita adhibiturus. Maximum ei beneficium Ordo Theologorum, concessio Sylversteiniano stipendio, tribuit; nam ea pecunia non solum sustentatus est, sed etiam ad litterarum studia cum maiore contentione prosequenda excitatus. Richtereri autem D. Praetoris urbani, qui cum patre huius olim familiariter vixerat, fauorem atque benevolentiam ita praedicat, ut vehementer optet, hoc se Patrono quam diutissime frui posse.

CAROLVS FRIDERICVS AVGVSTVS THOSS

SCHNEBERGENSIS.

**P**atre chirurgo et balneatore, Iohanne Michaeli, matre Anna Rosina Sommeria, natus anno aetatis huius LV. domi paterna aptam puero institutionem accepit a Morgenrothio et Hofmanno; adultiorem in ludum publicum miserunt parentes, ut proficeret magistris Reusmanno rectore, Andrea, Stumpfo. Ex horum disciplina venit Lipsiam anno LXXIV. rectore Ernesto Eloqa. Prof. nostris accensus. Hic diu haerebat, cuius potissimum studio se daret; tamen, quod sciret a melioribus litteris in omni doctrinae genere duci initium oportere, his primum tractandis, scholas Seydlitii philosophicas, graecas et latinas Ernestii, Mori, Lohdii, Wolfii, assidue frequentavit. Inter haec et Breuningium D. iuris naturae et ciuilis causa secutus est. Iam, auctoritate Seydlitii imprimis et Wolfii adductus, ad theologiae studium animum applicuit; scholas igitur Ernestii D. Thalemanni, Crusii, Petzoldi, assidue frequentavit; mox, libris N. T. recte interpretandis, opera usus est Ernestii, Mori, Wolfii, Scharfenbergii; in hebraicis Koernerii, Dathii, Lohdii; historiae causa Ernestii, Burscheri, Wenkii. Audiuit etiam Hagen Boernerii explicantem, et homiletica praecepta traden-

tradentem Koernerum, Richterum super hermeneutica sacra Bortzium Funcciumque in mathematicis, Platnerum in anthropologicis praelectionibus. Scribendi atque differendi facultatem Wolfio debet; etiam Lohdio, cum theologica tentamina institueret, diligenter adsedit. Atque his praeceptoribus omnibus gratum animum testari numquam desinet. Quibus autem verbis fauorem in se Wolfii, atque insignem beneuolentiam, laudare pro dignitate debeat, fatetur se nescire. Hic enim re et consiliis iuuit, recepit in domum, beneficiis innumeris auxit atque ornauit, ita ut oppressum se magis, quam cumulatam viri liberalitate sentiat. Igitur omnem ei pietatem addicit, quam patri benignissimo filius debeat. Laudat praeterea beneuolentiam agnatae suae, Hassiae viduae, in oppido Zwenkau, mercatoris item Lipsiensis, qui nominari noluit, cuius tamen liberalitate omnem eam pecuniam debeat, quae petendis magisterii honoribus eroganda esset.

## IOANNES GEORGIUS BEIGEL


GECKENHEMIO FRANCUS.

**P**ater huius, Ioannes Caspar, sacris faciundis praeerat in vico Ippeshemio, Huttenicae ditionis, cum ei anno Seculi LV. nasceretur hic filius e coniuge Catharina Rosina Grumbachia. Primam institutionem patri debet, et fratri natu maiori. Cum adoleuisset, missus in ludum Vffenhemiensem, commendatus est doctrinae et fidei rectoris Kuhnii, quam sibi ait fructuosissimam fuisse. Innotuit per eam occasionem Esenbekio, sacrorum Antistiti, qui, cognita discendi cupiditate adolescentis, singulari amore eum profecutus est, adeo ut per annum integrum elegantiores eum litteras gratis doceret. Anno LXXV. ad hanc studiorum Vniuersitatem accessit, rectore Plazio, theologiae operam daturus. Eius igitur causa Crusio, Koerner, Pezoldo, operam dedit, e cuius praelectionibus etiam philosophiae vniuersae praecepta petiit. Ernestium D. et Morum, librorum ali-

E 2

quot

quot N. T. interpretes habuit, illi etiam adfedit historiae tum  
vniuersae, tum sacrae causa. Dathi assiduus fuit discipulus,  
non in interpretatione solum quorundam V. T. librorum, sed  
etiam cum Syriaca atque Arabica doceret. Graecarum littera-  
rum causa Mori lectionibus interfuit, et Reitzii, a quo et ro-  
manarum antiquitatum notitiam accepit, carminum item Pin-  
daricorum sensum. Extollit viri istius merita in se, quae tanta  
sint, vt nullam earum partem, non modo referenda, sed ne  
cogitanda quidem gratia, assequi posse sibi videatur. Iam vt  
honores philolophicos obtinere posset, benevolentia Matronae  
ornatissimae, Riuiuae viduae, et inclutae Nationis Franconi-  
cae, effectum est.



*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

Coll. obs. A 147, 30